53050

17

COMMENTARII
IN
HIPPOCRATIS
LIBRVM PRIMVM DE MORBIS EPIDEMICIS
SPECIMEN

QVOD
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
AVCTORITATE
D. VIII SEPT. CIↃIↃCCXCVIII
H. L. Q. C.
DEFENDET

CAROLVS FRIDERICVS BVRDACH
PHILOS. DOCT. ET L. L. A. A. MAG. MEDIC. BACCAL.
LIPSIENSIS
SOCIO
CHRISTIANO FRIDERICO SCHWAEGRICHENO
MEDICINAE BACCALAVREO
LIPSIENSI

LIPSIAE
IMPRESSIT CAROLVS TAVCHNITZ.
1798.

ERNESTO PLATNERO

IOHANNI GOTTLOB HAASIO

ADAM MICHAEL BIRKHOLZIO

IOHANNI EHRENFRIED POHLIO

CHRISTIANO FRIDERICO LVDWIGIO

ERNESTO BENIAMIN GOTTLIEB HEBENSTREITIO

CHRISTIANO GOTTHOLD ESCHENBACHIO

CAROLO GOTTLOB KVEHNIO

MEDICORVM ORDINIS IN ACADEMIA LIPSIENSI
DECANO ET ASSESSORIBVS

VIRIS SVMMIS

MAGNIFICIS ILLVSTRIBVS EXCELLENTISSIMIS
EXPERIENTISSIMIS

OB INSIGNEM FAVOREM ATQVE INSTITVTIONEM EXIMIAM
OBSERVANTISSIME CVLTIS

LIBELLVM HVNC

GRATISSIMAE MENTIS SVMMAEQVE PIETATIS

TENVE DOCVMENTVM

DEVOVET

A V C T O R.

Est sine dubio studium, quod omnis aeui gentes, a literis non prorsus alienae in Hippocratis opera contulerunt, artis medicae qualis inter eas fuerit, status diiudicandi, et certissima norma et firmissima: ita vt vniuersam fere medicinae practicae historiam pragmaticam, studii istius modo neglecti, modo leuiter attacti, nunc peruerse tractati, nunc denique diligentius exculti proba ac subtilis notitia complecti videatur. Quam vero qui tenet, Hippocraticae medicinae fata quam saepissime magis splendida quam prospera fuisse, non ignorans, tempora, quibus ad coelum vsque elata omnibusque laudibus praedicata est, ab his quae seuero studio in eam impenso insignia sunt, prouidus dignoscet. Quam enim inter medicos philosophia experta est [1]), eadem sors Covm diuum pressit, quippe quem omnes fere laudibus celebrarunt, plurimi suis opinionibus eum accomodaturi, pro arbitrio misere deprauarunt, pauci probe intellexerunt, et perpauci imitatione prosecuti sunt. Viris summis, vt natura praeclarissimas dotes largita, iis varias aerumnas, innumerosque labores, quos iis moueat vel magna proletariorum in eruditorum republica turba, hebetioribus

1) Platneri quaestiones physiolog. p. 76.

oculis, quam vt ingeniorum istorum acumina adtingere possint, vel imitatorum seruum coecumque pecus, ferendos imposuit: id quoque in fatis est, vt, licet spretis opinicnum commentis, veri studio incensi, naturam modo atque rationem sequantur, ab iis quos partium triste studium teneat, in suae scholae societatem trahantur. Quemque eos sibi vindicare, de opinionum inter se communione asseuerare, adeo vulgare est et quasi more receptum, vt nisi recentissima eius memoria esset, exemplum non afferrem [2]. Quibus igitur omnibus, cum aeque empirici ac dogmatici, opinionibus toto coelo differentes Hippocratem suum vocarint [3], eumque plurimi, non vt naturam sincerrime obseruatam cognoscant, verum vt sua placita inde confirment, legerint, vsus eius operum verus ac dignus mirum quantum est impeditus. At nunc, cum viri et eruditione et experientia pollentes, praesertim inter nostrates, iunctis viribus medicorum principem sibimet ipsi reddere coeperint, meliorem eum interpertandi methodum saeculorum ordo adduxit. Attamen horum interpretum merita admirantibus nobis atque summi facientibus, quaestio sese offert, num

---

2) Illustr. Frankii, Germanorum Hippocratis exemplum vd. in epheme-ridibus medico-chirurgicis, quae Salisburgi prodeunt, anni 1797. no. 54. 64. 65. 71.

3) Montani comment. in libr. I epidem. Hipp. p. 2. Ackermann's, *Geschichte der Empiriker* — *in* Wittwers *Archiv für die Geschichte der Medicin. 1 Bd. 1s Stück.*

eorum labores omnibus numeris nunc sint absoluti, num caligo quam Hippocraticis scriptis offusam questi sunt, iam discussa sit omnis? Secus profecto videtur, neque dum in lucem prodiit opus, quod e celeberrimi interpretis Hippocratici voto 4), medicinam illius penitus illustratam et in systematis ordinem redactam contineat. Quod vt perficiatur, primo loco emendetur necesse est, nisi me omnia fallunt, et quantum fieri potest, in integritatem suam restituatur codex ille, variis inter se comparatis eius exemplis, que vel manu scripta latent, vel exscripta typis extant; singula tum loca rectius quam hucusque factum est, vertantur, meliore interpretatione exornentur; quorum tenebrae si nondum sint fugatae, iis dein aeque ingeniosa ac circumspecta lucem afferat coniectura; postea morbi illic enarrati et nostrum saeculum infestantes inter se concilientur; porro methodus quam in medendo secutus est Hippocrates, nostrae componatur; quidquid denique fructus inde in nos redundet, curiose colligatur. Cuius laboris partes nonnullas super praeclarorum de morbis epidemicis librorum primo, pro cum virium exiguitate, tum temporis angustia subire tentaui. Coeli vicissitudines cum morbis, earum progenie, ita vt vno in conspectu videantur, describendo; morbos deinde singulos ordine quodam

4) Grvneri praefat. ad Hebenstreitii palaeologiam therapiae Hal. 1779. 8. p. 15.

ac breuiter explicando, aphorismos his interspersos adiungendo, libri eius, qui profecto cum et tempestatis et aduersae valetudinis tantam exponat varietatem, de hoc argumento prae caeteris classici nomen meretur, summam exhibui. In quo negotio locos difficiliores offendens vulgari interpretatione relicta, nouam viam quam mihi aut morbi descripti natura, aut contextus ratio monstrauerant, ingressus sum, in coniecturae campum raro excurrens. Loca nonnulla, quae hic enarrata illustrent probentue, ex Hippocraticis libris, praesertim genuinis, passim addidi; commentarios autem antiquis saeculis exhibitos, vtpote steriles, quorum fructus extricare Herculeum laborem, meas vires superantem, censeo, non consului. Licet igitur arctissimos huic meo labori constituerim fines, neque commentarii nisi fragmenta exhibuerim, tamen, cum tanto consilio rite exsequendo, non sufficere Hippocratis opera legisse, sed diu lectitata animo inculcasse, non morbos quos ille descripsit, aliquoties obseruatos agnoscere, sed diuturna experientia eos sibi familiares habere, probe sciam, magna mihi videor ausus esse. Attamen malo in re ardua et graui cadere, quam in vulgari ac trita stare. „Namque magnitudine rei „deterreri, hoc imbecillitatis est; a difficultate repelli, id vero „ignauiae.“

COELI TEMPERIEI
ET
MORBORVM EPIDEMICORVM
IN THASO PER TRES ANNOS OBSERVATORVM BREVIS EXPOSITIO.

ANNVS PRIMVS.
Siccus, austrinus.

Auctumno	pluuiae multae, tepidae.		
Hyeme	coelum lene, siccum.	Austri. Aquilones rari.	
Vere	tempus gelidum, pluuiae rarae.	Auster.	Febris inflammatoria. Morbi catarrhales
Aestate	nubila, pluuiae nullae.	Etesiae fere nullae.	Phthisis Febris continua gastrica.

ANNVS SECVNDVS.

Humidus, aquilonius.

Auctumno	imbres largi, repentini.	Austri et aquilones fortes.	Febris inflammatoria. Febres intermittentes. Febris continua gastrica.
Hyeme	pluuiae, niues, coelo sereno alternae; frigus serum cum pluuiis et niue.	Aquilones.	
Vere	frigus, nubila, pluuiae.	Aquilones.	
Aestate	calor moderatus; pluuiae.	Etesiae. Aquilones.	Ophthalmiae. Diarrhoea, dysenteria.

ANNVS TERTIVS.

Siccus, aquilonius.

Auctumno	pluuiae multae, postremo exiguae.	Aquilo. Auster.	
Hyeme	frigus siccum; dein nix multa.	Aquilo.	Apoplexia.
Vere	pluuiae exiguae, frigus vehemens.	Aquilo.	Febris inflammatoria.
Aestate	calor insignis, siccus.	Etesiae.	Febris inflammatoria neruosa.

ANNVS PRIMVS.

Auſtrinus, ſiccus et ſi aeſtatem, quae morbos a conſueta forma paululum recedentes adduxit, exceperis, ſaluber.

I. *Febris inflammatoria* [a]) (§. 1.) ineunte vere [b]) leuis fuit, non letifera, ne haemorrhagiis quidem ſemper iuncta.

a) Καῦσος cum febres paene cunctas, dummodo ignibus vexent, comprehendat, cuiusnam indolis hoc loco memoratus ſit, quem auctor vtpote a longe alia coeli temperie, quae praeterlapſo anno fuerat, ortum, hic amplius exponere alienum putauit, certi quidem finire haud poſſumus. Interim febrem hanc, cum haemorrhagias, licet ob mite coelum ſatis leues mouerit, inflammatoriae naturae fuiſſe, ſcire ſufficiat. Seiungendam vero eandem eſſe a morbis catarrhalibus, qui deinceps exponuntur, patet e contextu.

b) Cum ſoli fere auctumno et hyeme ſpiraſſent auſtri, qui morbis aſthenicis fauere ſolent, [1]) niſi antea aquilones frequentes erant, quibus vt febres inflammatorias gignant, peculiare eſt, [2]) admodum omnino fuiſſet mirum in leni hac coeli temperie morbi iſtius initium. Quod quidem Hippocrates manifeſto

1) De aere, aquis et locis. Sect. III, pag. 64. (Ex editione Foeſiana. Francof. 1595. fol.) Aphoriſm. III, 5, 17.

declarat his verbis: γενομένης δὲ τῆς ἀγωγῆς — — ἐγένοντο καῦσοι, quae sic verto: *coelum igitur, licet continenter austrinum ac siccum fuerit, ineunte tamen vere, ex tempestate, quae praegressa erat, opposita, aquilonia nimirum, passim adhuc febrem inflammatoriam animaduertere licuit.* Qui igitur Thasum, si recte video, ante auctumnum perflauerat aquilo siccus, febres inflammatorias longo agmine secum adduxerat, quem iam cessantem hae tamen, vt fieri solet, passim adhuc insecutae sunt. — Locus iste, vbi vertitur ex Foesii, Grvneri, Grimmii, caet. ſententia, magna difficultate laborare mihi videtur.

ὕδατα — μαλθακὰ, ὡς ἐν νοτίοισι, *pluuiae, — et quidem haud secus ac spirantibus austris tepidae.* Male quidam putant, austros semper humidos fuisse, et tempus νότιον nonnisi *pluuiosum* interpretantur. Atuero primum, quod coeli vicissitudinum index, quem supra proposui, docet, aquilo magis quam auster imbres adduxit Thaso. [3] Dein complures ventos terris ad quas super mare deueniant, siccitatem afferre, alio loco docetur. [4]

II. *Catarrhales morbi* (§. 1.) iuuenes validos vere [5] inuaserunt. [a]) Ad quos pertinent primum febres catarrhales,

---

2) Da aere, aq. l. c. paulo inferius. p. 21.

3) Epidem. lib. I, §. 1, 5, 13.

4) De victus ratione. — Sect. IV.

5) Aphorism. III. 20.

dein alii systematis lymphatici et glandulosi labores, tumores parotidum laxi, magni, marginibus non exacte circumscriptis, [b]) item testium; tussis sicca, vox rauca. [c])

a) τοῖσι περὶ παλαίςρην καὶ γυμνάσια. Thasii haud minore industria quam caeteri Graeci, gymnasticis vacarunt. Ita Theagenem, ab vxore sacerdotis ad templum Herculis, [quod Hippocrates pluries commemorat, 6)] quam clemens iste heros, certe aliquis huic non dissimilis, amplexus erat, genitum, in gymnasticis maxime versatum et per omnem Graeciam celebratissimum, commemorat Pausanias, 7) qui Thasios nec aliarum artium imperitos fuisse, passim testatur.

b. κεχυμένα.

c. ὁκόσα κατ' ἰητρεῖον, ἀνόσως διῆγον. Interpretes recentiores, quos consulere mihi licuit, ad vnum omnes, ita hoc vertunt: *quod reliquum est, morbis chirurgicis fuerunt intacti.* Sed nonne Hippocrates clare dixit, febricitantibus istis tumores ad aures, vel ad testiculos inflammationem extitisse? Quinam vero alii morbi chirurgici hic in censum vocari possunt? Ossium sane fracturae, aliaque id genus mala, cum nusquam ad hodiernum

---

6) Epidem. l. I. §. 29. — lib. III. 24. caet.

7) Pausanias Eliacorum lib. II

tempus epidemice grassata sint, huc non pertinent. Foesius, quo neque diligentius, neque ingeniosius interpretum ad hunc vsque diem vllus profecto in medicorum principem commentatus est, 8) in Hippocratis oeconomia locum hunc non aliter explicat, sed postea in notis ad versionem suam, vbi explicationem istam, quam incommoda sit, intellexisse videtur, aliam eamque duplicem proposuit, quae vt probabilis sit, admodum vereor. Liceat mihi quae de hoc loco censeam, exponere, quae quidem licet non vndique ad verum proxime accedant, tamen vt probentur, istis mihi paulo digniora esse videntur. Ἰητρεῖον, ita vt *βασιλεῖον* regis domicilium, tum et alia ad eum pertinentia, v. c. diadema significat, medici vel supellectilem vel *domum* notat. Hippocrates igitur, si locus integer est, scripsit: *quod ad medicorum domos*, (quarum sunt patula morbis contagiosis atria) *in iis bene valuerunt*, et sic vnum quoddam enuntiando, vniuerso significat, morbum istum non fuisse eius naturae, vt contagione adfecerit. — Verum ne et hoc displiceat timens, neqne tamen aliam verba ista explicandi rationem animaduertens, ea potius a scribis corrupta et mutila putans, ita legere malim: *τὰ δ' ἄλλα ὁκόσοι κατ' ἰητρείην, ἀνόσως διῆγον. Quae omnia admodum grauarunt plurimos; caeteroquin vero, quicunque ad medicinae auxilia confugerant*, (verbotenus: in medela erant) *nullos postea morbos*

8) Sprengels Geschichte der Arzneykunde. III. Bd. p. 14.

experti sunt; i. e. catarrhum neglectum secuti sunt morbi, qui isto bene curato non apparuerunt. Ἰητρείη enim notat monente Erotiano 9) θεραπείαν, medelam, medici officium. „Quibus „non medemur medicamentis, admoueamus cultrum; quem, nisi „magis iuuerit, sequatur ignis." 10) Quodsi ferrum ita vt indicaui, huic loco adhiberi nequit, foret, quantum equidem video, ad ignem confugiendum. Sed quae me latent, videbunt alii me sagaciores.

III. *Phthisis* 11) (§. 2, 3) vere, quo suis semper periculum intendere solet, 12) et aestate nebulosa, insigniter vehemens populata est Thasum, homines cum in ipsam pronos, tum maxime eadem iam exhaustos, celeriter abripiens. *a*) Adduxit autem febrem hemitritaeam horrore insignem, 13) cum singularum partium sudoribus 14), artuum frigore; 15) quod pelli non poterat, diarrhoea, 16) *b*) vrina vel omnino tenui, vel in qua subsederunt cruda et crassa, 17) sputis tussi operose eiectis, 18) raucedine,

9) Erotiani, Galeni et Herodoti glossaria in Hipp. ed Franz. p. 182.

10) Aphorism. Sect. VII. p. 361.

11) Ef. Epidem. III. §. 18. 19.

12) Ibid. §. 20. VI. Sect. VII. p. 290.

13) Aphor. IV. 46.

14) Prognosticon. Sect. II. p. 5.

15) Aphor. VII. 1.

16) Ibid. V. 14.

17) De crisibus Sect. II. p. 22.

18) Prognosticon. Sect. II, p. 9.

catarrho, ciborum fastidio absque siti; mortem praegressum est saepe delirium. [19])

a) *Ως τά γε ἄλλα κ. τ. λ.* (§. 2.) Hoc loco, quod pluries mihi accidit, interpretes non intelligens, Hippocratis mentem perspicere mihi videor. Referre solent τὸ ἤνεγκαν ad phthisicos, et quidem vel ad ipsos, quorum morbum iam exponit Hippocrates, vt Grimmivs [20]); vel ad eos qui alio tempore hoc morbo laborarunt, vt Grvnervs [21]) et interpres oraculi Coici ab Avbryo conscripti [22]). Primum ad phthisicos, de quibus (§. 2. et 3.) sermo est, quippe qui nec febrium symptomata bene pertulerunt, neque a morte fuerunt tuti, haec pertinere non possunt. Additum est: περὶ ὧν γεγράψεται; cum vero neque in hoc libro aliorum phthisicorum mentionem iniiciat, neque soleat, quantum memini, Hippocrates ad alios libros ablegare, nulli possumus haec magis dicta putare de iis qui aliis annis phthisi laborarunt. Ita totum locum ἀπέθνησκον δε — — φθινῶδες ἔκτεινεν explicandum censeo: *etiamsi alia ac magis diuturna febrium symptomata, vt infra docebo, bene et absque vitae discrimine hoc anno tulerunt, tamen qui phthisi laborarunt, solito citius extincti sunt; hic enim morbus*

19) Praedictionum sect. II. p. 45.

20) Hippocrates *Werke, übers. v.* Grimm. *I. Bd. p. 5.*

21) Grvner's *Biblioth. der alten Aerzte. I. Bd. p. 133.*

22) Avery's *Commentar über das 1. u. 3. Buch der Volkskrankheiten des* Hippocrates. *Leipzig* 1787. *p.* 4.

tunc temporis ſolus et maximus interfecit Thaſios. Locum ita explicitum cum ad rerum naturam, tum ea quae Hippocrates poſtea enarrat, optime quadrare arbitror.

b) πυκνὰ ἀνίςαντο verti ſolet: *crebro ſurrexerunt aegroti.* Sed obſecro! num Hippocrates, quem in hoc libro „vt artificem artificibus, breui ſubtilique dicendi genere vſum eſſe,“ nullus non animaduertit 23), phthiſicos quos diarrhoea laboraſſe copioſe expoſuit, iam idem, ad aluum deponendam crebro aſſurrexiſſe, adiecerit? Quod cum, Hippocratis ſtylum minime referens, a vero longe mihi abhorrere videatur, quae nunc diſcreta ſunt, iungens, verto: *neque rara extiterunt* (ἀνίςαντο) *ſordium biliosarum ſemel paucarum, ſincerarum, tenuium, mordacium per aluum profluuia.*

IV. *Febre continua gaſtrica a)* (§. 4.) leui quidem, nec periculoſa correpti et quam plurimum omni triduo 24) eius impetu perculſi ſunt prae caeteris, qui chronicis morbis dudum detenti b), viribus tamen nondum exhauſti erant, ita quidem vt vrina ipſis eſſet pura, tenuis, boni coloris, 25) tuſſis non admodum moleſta, ciborum auerſatio nulla, c) poſt horrorem ſudor paucus 26), criſis autem

---

23) Freind de febribus commentari IX. ad lib. Epidem. I. et III. p. 5.

24) Praenot. Coac. S. II. p. 117. — Aphor. IV. 43. — VII. 64.

25) De criſibus S. II. p. 22. Praenot. Coac. S. II. p. 206.

26) Aphor. VII. 4.

contigit die vigesimo, vel quadragesimo, vel octogesimo, inprimis per aluum et vrinam, sine qua rediit morbus [27]).

a) Hanc febrem ita definiens nullus mihi videor vero aberrare. Primum enim et ortus per aestatem nebulosam, ventis nullis agitatam, et symptomata, et crisis hoc probant; deinde cum eius indoles, vtpote admodum mitis leuisque, nondum satis fuerit perspicua, auctumno qui insecutus est, grauior eoque luculentior facta est [28]).

b) *μακρὰ δε — ἐγένοντο.* Non dubito locum hunc ita vt iam pridem a Cel. Grimmio explicitum multo clariorem esse quam ex interpretatione Cel. Grvneri, qui quid voluerit, plane non intelligo. Inuasit febres eos, qui ob morbos chronicos procliuiores essent in morbi fomitem excipiendum, nec tamen viribus ad febrem procreandam necessariis destituti.

c) *ἀλλὰ και διδόναι πάνυ ἐνεδέχετο*: *nutrimenta non auersabantur, immo ea sumere illorum valetudini quam maxime conduxit.* Admodum miror, hunc locum, quantum video planum, aliter explicitum esse ab interpretibus. Ita quidem vt ego eum explicui, optime illustrat quae sequuntur, magis obscura.

τὸ μὲν οὖν ὅλον — φθινώδεα τρόπον. Qui exponat hac paragrapho febrem continuam gastricam Hippocrates: quid

---

27) De crisibus S. II. p. 23.

28) Epidem. I. §. 8 — 10.

iam de phthisicis interserit, quorum morbus erat antea ita enarratus vt cum hac febre commisceri omnino non posset? Ab interpretibus, quos consulturus adieram, vel magis incertus et dubius reuersus sum ad ipsum Hippocratem, qui interpretibus suis intellectu longe facilior esse solet. Quem igitur nodum ita soluendum censeo: in febribus istis continuis gastricis aegroti non modo ciborum fastidio non tenebantur, verum ipsa quoque nutritio e re visa est. Quod profecto, cum a solita harum febrium natura longe recedat [29], mirum est. Sed omnes omnino morbi tunc inter Thasios reperiundi, viam solitam aliquantulum reliquerunt, praesertim phthisis, quae tunc maxime saeuiebat. Cuius morborum a natura sua declinationis causam a coeli temperie item insueta et abnormi repetendam esse, vero haud absimile est [30]. Ista igitur Hippocratis verba parenthesi distinguenda sunt; redit deinde auctor verbis πυρετοῖσι φρικώδεσι κ. τ. λ. ad febricitantium illorum mala exponenda.

---

29) Epidem. I. §. 9.

30) Epidem. II. 2. — Aphor. III. 8

ANNVS ALTER.

Humidus, praecipue morbos asthenicos excitauit.

I. *Febris inflammatoria* (§. 7) rara adfuit, mitis processit, nec haemorrhagiam, nec delirium mouit, neminem necauit, septendecim diebus elapsis ex lege euanuit. [a])

a) Male mihi locus §. 18 ἐκ δε τῆς ὑποστροφῆς — — ἑπτακαιδεκαταίοισιν, huc spectans, a germanis interpretibus ita translatus esse videtur: die e morbi reditu decimo septimo sanitatem recuperarunt. Primum enim morbos inflammatorios vulgo die decimo ſeptimo cessare, Hippocrates pluribus locis docet; idem porro febris recidiuae crisin tamdiu dilatam nullibi commemorat; et denique insuper addit τὸ ξύμπαν, omnino, i. e. postquam septendecim omnino dierum spatium morbus emensus erat.

II. *Febres intermittentes* per omnem auctumnum pluuiis scatentem protractae, spasmis, sed sine noxia comitatae.

A. *F. i. tertiana* satis molesta post septem paroxysmos iudicata haud rediit. [a])

a) εὐτάκτως δὲ — — περιόδους. Haec, cum facillima quaelibet ad locum mihi obscurum illustrandum animo amplecti amem, ita explicem: *hisce aegrotis quatuor paroxysmi rite euenerunt, ita vt septem diebus elapsis omnino, nec in febrem relapsuri ad sanitatem sint restituti.* Quam vero interpretationem licet a loquendi vsu non alienam et locum hunc egregie illustrantem, tueri interim dubito, bene recordans, Hippocratem semper febrem tertianam non ante septem paroxysmos extinctam commemorare. 31)

B. *F. i. quartana*, vel protopathica, vel deuteropathica, satis diuturna. 32)

C. *F. i. quotidiana* et *atactica*, diuturna, mox leuior, mox grauior.

III. *Febris continua gastrico pituitosa* [a]) (§. 8—10) impetu ternis diebus repetito, quos corripuerat et diu occupauit, et grauiter adflixit. 33) Enimuero horrorem iis mouit errabundum, 34) sudorem exhaurientem, artuum frigus, insomniam licet non frequentem, tamen sopore exceptam, malae indolis diarrhoeam, vrinam crudam, tenuem, ciborum fastidium continuum 35) [b]) sitim non praegran-

31) Aphor. IV. 59 — Epidem. II. 5. — de crisibus S. II. p. 24.

32) Aphor. II. 30. 31.

33) Ibid. III. 9, 16.

34) Praenott. Coac. Sect. II, p. 104.

35) Aphor. VII, 6. — Praenott. Coac. S. II, p. 105.

dem. [c]) Perierunt multi, praesertim infantes et pueri mox puberes. [36]) Crisis, si qua contigit, facta est non nisi die exacto octogesimo per vrinam, [37]) [d]) stranguriam ciens et ciborum cupidinem cum aluo paulutum strictiore reducens; [38]) post quam vero morbus interdum rediit. Molimina critica, quae ad coxas, [39]) parotides, cutim et per anum apparuere, ob vires iamiam exhaustas, inania fuerunt, et vt morbus in tabem vel hydropem degeneraret, maxime effecerunt.

a) Pituitae abundantiam toto anno obseruatam notauit antea Hippocrates: *πᾶσι πάντοθεν πουλὺς ὁ πλάδος.* [40])

b) — *ἀποσίτους εἶναι* — — *ὀλεθρίως ἔχοι.* Interpretes cum *τὸ τουτέων* referant ad aegrotos, quorum antea per datiuum casum (*πλείςοισιν*) mentio facta fuerit, non bene, si recte video, hunc locum explicuere. *Τουτέων* igitur ad *γεύματων*, quod quidem primum oculos incurrit, refero. Cum vero constructio nondum satis clara videatur, liceat mihi per criticos, duas modo literulas addere; ita vt habeamus *ἔχοιεν*. *Ἔχειν ἡδέως γεύματι τινὶ,* [41]) siue *γεύματος,* [42]) siue *πρὸς γεύμα-*

36) Aphor. III, 27.
37) Ibid. IV, 74.
38) Ibid. IV, 83.
39) Ibid. 31. — Praenott. Coac. S. II, p. 117.
40) Epidem. I, §. 6.
41) Epidem. I, §. 10.
42) Ibid. III, §. 18.

τος 43) notat Hippocrati, bene sumi nutrimenta atque salubria esse. Ὀλεθρίως ἔχειν γεύμασιν contrarium significat. Verto igitur ex emendatione, quam proponere ausus sum: *omnes quidem cibos auersabantur, maxime eos, qui caeterum quoque damnum ipsis attulissent.* Quod quidem huic morbo, in quo ciborum, v. c. farinaceorum, pinguium, rancidorum, tenacium, qui detrimentum summum adferrent, insuper fastidium reperiatur vehementissimum, optime conuenit.

c) Διψώδεες οὐ λίην ἀκαίρως ἦσαν. Vulgaris horum verborum versio non satis accurata et clara esse videtur. Ἄκαιρον notat omne quod rerum quae nunc est conditioni haud respondet, igitur insuetum, iusto citius, diutius, frequentius e. s. p. Sic dicitur de aeris temperie, 44) de sumtis cibis, 45) de alui excretionibus, 46) e. s. p. Accuratius igitur ita mihi explicatus ille locus videtur: *sitis eos tenuit, non multo maior quam in his febribus esse solet.*

d) οὖρα μιξόπυα. Foesius vertit: purulenta vrina; quod vero alio loco 47) e Galeno emendat, ita vt istud notet vrinam quae deiicit sedimentum crassum, puri simile. Qui Hippocratem explicarunt recentiores, haud congrue vrinam purulentam dixere.

---

43) Ibid. VII, S. VII. p. 240.
44) Ibid. I, §. 5.
45) Ibid. §. 17.
46) Ibid. III. §. 8.
47) Oeconom. Hipp. p. 549.

IV. *Ophthalmiae humidae* (§. 6.) coelo in frigoribus pluuias multas effundente, subortae 48) per aestatem, cui quidem peculiares sunt, 49) remanserunt.

V. *Dysenteria* et *diarrhoea* aestatem vti solent 50) occuparunt. *a*)

a) Caeteroquin varia hic exponuntur mala, quae autem cum magis symptomatum quam morborum nomine insigniri mereantur, modo vt vniuersam morborum naturam, qualis hoc anno fuerit, doceant, reliquis praemissa sunt.

ANNVS TERTIVS.

Maxima ex parte frigidus, ſiccus inflammatorios morbos parauit.

I. *Apoplexia a*) (§. 13.) ex auctumno humido 51) et hyeme 52), nec non ob austri flatum 53) frequens mortem attulit.

48) Aphor. III, 16. — De aere aq. et locis Sect. III, p. 64.

49) Aphor. III, 21.

50) Ibid. 11.

51) Ibid. 23.

52) Ibid. 16.

53) De aere aq. et loc. l. c.

a) Inter ἀποπληξίαν et παραπληξίαν HIPPOCRATES discrimen, quod recentioris aeui medici, v. c. GALENVS, ARETAEVS, alii, statuerunt, non constituisse mihi videtur, neque dum video, quanam re haec verba ex eo inter se differant. Modo enim singulae cuiusdam partis apoplexiam, v. c. linguae 54) memorat, modo vt h. l. paralysin morbis vniuersalibus, quos letales esse non insolitum est, adnumerat. Quare vtrumque verbum pro contextus ratione nunc per apoplexiam, nunc per paralysin explicandum esse censeo.

II. *Febrem inflammatoriam* (§. 14, 15.) parum letalem excitauerunt hyemalia cum vernis frigora 55) [a]), praesertim iuuenibus ac viris 56). Praeter vrinam tenuem cum sedimento 57), diarrhoeam et dysenteriam 58), partes in crisi adducenda praecipuas sustinuit larga per nasum haemorrhagia 59) [b]), praeterea quoque ad aures apparuere tumores, crisi absoluendae haud sufficientes 60). Foeminis, vel adeo puellis, quae menstrua Lucinae sacra nondum fecerant, critica extitere catamenia; mulieres paulo ante enixas oppressit morbus 61). Haemorrhagias

54) Coac. praenott. S. II. p. 108.
55) Aphor. III. 14.
56) Ibid. 29, 30.
57) De diaeta. S. IV. p. 24.
58) Infra §. 17.
59) Praenott. coac. S. II. p. 136.
60) Ibid.
61) Aphor. V. 30.

saepe excepit dysenteria [62]), quae caeteroquin vbi inflammatoriae diathesi implicita erat biliosa, praesertim senibus leuaminis multum adtulit.

a) De coelo quod insulis archipelagi est, diuersissima referunt, qui itinera illuc facta literis mandarunt. Hic enim cum aliquot mensibus pluuias leues hyemis locum tenere, frigora autem cum niue aut glacie, inaudita esse narret, [63]) ille aquilonibus per decem fere menses saeuientibus, frigora summa ibi esse, asseuerat. [64]) Cuius differentiae causa procul dubio cernitur eo, quod viri illi et diuersas insulas et diuerso tempore viderunt; coelum enim in Archipelago mirum in modum variare, neque diu sibi constare, certissimum sane est. [65]) Thasi aerem, de quo quidem nihil alibi reperi, satis frigidum saepe esse, etiamsi non clare hic Hippocrati dictum esset, colligere tamen liceret ex huius insulae situ litori quam proximo. [66])

b) ὁ χυμὸς ὅυτος ἐπεπόλασεν. Foesius vertit [67]) copiosus hic humor fluitabat; Grunerus [68]) cum interprete

62) Aphor. IV. 27.

63) *Beschreibung von Kandia u. einigen andern Inseln des Archipelagus, gesammelt v. Reichard. Leipzig. 789.*

64) *Riedesel's Bemerk. auf einer Reise nach der Levante. Leipzig. 774.*

65) Finke'ns med. Geogr. I. p. 113.

66) De diaeta lib. II. S. IV. p. 24.

67) Edit. Hipp. S. VII. p. 27.

68) l. c. I. p. 144.

germano libri Avbryani 69): haec fuit excretio vulgaris; Grimmius 70): sordes in multis aegrotis accumulatae sunt; et deinde, quod si quis mihi explicuerit, magnus mihi erit Apollo, in commentario 71) adiungit: „quae si verbotenus „transtuleris, ita audiunt: sordes fuerunt accumulatae ita, vt „transparuerint.“ — Sed loci huius difficultates, quas ego certe animaduertere non potui, interpretes sibi pararunt. Quaenam, obsecro, facilius incurrit oculos versio, quaenam cum verborum notioni, tum et omnibus, quae et antea et postea dicta sunt, magis conuenit, quam haec: *inprimis igitur tunc sanguis abundauit*. Num enim χυμὸν sanguinem notare asseram, nullus haesito, nam vt taceam librum Hippocraticum περὶ χυμῶν, vbi de omnibus vniuersi corporis humoribus promiscue disseritur, iam Foesius docet 72), χυμὸν esse Hippocrati quemcunque humorem corpori seruando ac nutriendo aptum; neque aliter sensisse videtur Galenus.

III. *Febris inflammatoria neruosa* (§. 16.) cum calorem aestiuum auctumnus exciperet humidus, tepidus, austris iunctus, corripuit Thasiorum complures, necauit haud paucos [a]). Ab initio statim horrore cum insomniis, animi deliquio, siti, fastidio, dein sudoribus ad ceruicem et

69) l. c. p. 13.
70) l. c. p. 23.
71) Ibid. p. 462.
72) Oecon. Hipp. p. 686.

collum 73), deliriis, timore, abiecto animo, artuum frigore 74), eos concussit, quam plurimum quarto quoque die ingrauescens artus frigidos liuido colore obduxit 75), sitim celeriter extinxit 76), vrinam fuscam, tenuem, paucam eduxit 77), aluum inhibuit; ita crisin, quae post deliria euenit die vndecimo, raro excitauit, plurimos sexto die occidit *b*).

a) Hac praesertim febre laborasse videntur aegroti, de quibus deinde sigillatim refert Hippocrates. Commemorat ibi inter caetera symptomata quorum mentionem hic non intulerat, *πνεῦμα ἀραιὸν, μέγα, ὥςπερ ἀνακαλουμένῳ.* (§. 24.) Verba haec tam clara, Hippocratem qui, naturam suis nullo fuco alieno mixtis coloribus descripsit, auctorem referentia, tamen virorum doctissimorum explicatione, erudita magis quam simplici, deformata esse videntur. Foesius, a simplicissima interpretatione, nescio quam ob causam, recedens, vertit: spiratio ei fuit, quasi intro reuocanti et ingeminanti, rara et magna. Grimmius 78) sic: reſpiratio ei fuit alta et lenta, veluti vehementer clamanti. Aubry: 79) respiratio fuit inter-

---

73) Praedictt. I. S. II. p. 45.
74) Aphor. VII, 1.
75) Ibid. VIII, 11.
76) Praedictt. I. S. II. p. 51.
77) Prognostic. S. II. p. 8.
78) l. c. p. 39.
79) l. c. p. 31.

rupta, rara et vehemens. Trillerus[80]) legendum censet: *ὥςπερ ἀνακλινομένῳ*, quem sequens Grunerus[81]) vertit: respiratio ei fuit, non secus ac supine iacenti, rara et vehemens. Ego quidem verbis insistens, neque explicationem aliunde repetens, ita haec verto: *spiritum duxit magnum et rarum, ac si rei cuiusdam reminisceretur.* Quis quaeso, gentium, magis egregie, quis naturae magis accommodate, quis luculentius quae magna et rara medicis audit, respirationem describere potest? Quicunque enim vel ab alio monitus, vel sua sponte rei alicuius celeriter, nec non de obliuione paululum indignabundus, recordatur, spiritum repente et conuulsiuo quasi motu adductum, lente et magno interuallo edit, quod quidem saepius repetitum ad vnguem cadit in respirationem magnam et raram.

b) Quae deinceps sequuntur, non spectant febrem, de qua vltimo loco egerat Hippocrates, sed vniuersam febrium naturam, hoc anno grassatarum.

πλῆθος νουσημάτων ἐγένετο (§. 17) *multi laborarunt morbis;* non: multa tunc reperta sunt morborum genera. Νουσήματα, cum magis morbos in singulis quibusdam hominibus reperiundos notent, saepe *morborum casus* vertere oportet.

80) Trilleri epist. med. crit. ad I. Freind super I. et III. Hipp. epidem. Rudolstad. 720. 8. p. 40.

81) l. c. p. 155.

μειράκια — ὀργίλοι (ibid.) His omnibus Hippocrates deſcripſiſſe videtur homines fibrae facile quidem incitabilis, ſed non ita valide reagentis, nec incitationis impetum diu ſuſtinentis. Τραύλους huc refert; quibus enim ſit pituitae vel bilis abundantia, eos balbutire alio loco dicit. [82])

APHORISMI NONNVLLI,

morborum iſtorum obſeruationi ſubiuncti.

In morborum medela triplex ſe exſerit potentiā: morbi ſcilicet, naturae quae aegroto eſt, et artis. Medicus artis miniſter, huius praecepta exſequens, ad debellandum morbum naturae, cui ſuccurrit, vires ſuas icto veluti foedere iungit. (§. 11.)

Quem in finem accipiat ille neceſſe eſt, quae ſunt ante morbum acta, praeſentem morbum cognoſcat, quae euentura ſint, praedicat, haec omnia denique rite perpendendo de medendi methodo conſilium capiat.*) (§. 11.)

*) ταῦτα μελετᾶν „Summa cura anniti te oportet, vt „praeterita enarres," e. q. s. Ita vertunt interpretes; ſed quidnam enarret medicus de fortuitis cauſis, quae morbum

82) Epidem. II. S. VII. Aphor. VI. 32.

mouerint? Immo eas accipiat ab aliis. Τὸ λέγειν autem ad alios praeter medicum referre, per hanc explicandi rationem haud possumus. Nil igitur nisi χρὴ supplendum reor, ita vt vniuerse sit dictum, neque ad vnum medicum referatur: oportet occasionem morbi exponere, diagnosin facere, prognosin tum colligere, quibus omnibus rite peractis consilia quae ad morbum pellendum indicata esse videantur, capere.

Accedat medicus ad aegrotum, vniuersae naturae, coeli et regionis notitia instructus. Quoad ante morbum acta, animaduertat aegroti consuetudinem, victus rationem, vitae genus, omnem denique eius naturam. Ad praesentia autem quae obseruare oportet, pertinent morborum impetus, cum symtomatum agmine. (§. 20.) Praedicat dein medicus, num morbus sit praeceps atque letalis, an minus? (§. 22.) De medendi denique methodo consilium capturus, videat vt iuuet, certe ne obsit. (§. 11.)

Cuilibet morbo in singulis hominibus est alia proprietas et peculiaris natura, ita vt nunquam absoluta eos intercedat similitudo. Quorum discriminum in praecipienda diaeta medicum decet rationem habere summam. (§. 22.)

Ita expoſitis quae HIPPOCRATES de morborum natura in vniuerſum hoc libro docuit, ad ea quae de ſingulis aegrotis obſeruauit, cum minus obſcura, tum Cel. AVERYI commentario practico iam illuſtrata, deſcendere nolo. Sufficiat exiguum hoc ſpecimen, quod niſi viris doctis plane diſplicuerit, ſumma cura in eo elaborabo, vt commentraium in HIPPOCRATIS ſcripta limatiorem plauſuque digniorem aliquando exhibeam.